Cracoviensis Studiorum Univ. Jagell.
Promotio Ordinis Philosophorum
1741. 24 Martii

~~Poczya 2992~~

Masarski Andreae. Monile Palladis Jagellonicae ex pretiosioribus virtutis et eruditionis gemmis contextum pro bravio ingredientibus stadium philosophicum athletis VIII VV.DD. primae laureae Candidatis expositum.

MONILE
Palladis Jagellonicæ
Ex pretiosioribus
Virtutis & eruditionis gemmis
CONTEXTUM
Pro bravio
Ingredientibus stadium Philosophicum Athletis
VIII. VV DD. Primæ Laureæ Candidatis
EXPOSITUM.
ac dum per
Illustrem Clarissimum & Admodum Reverendum Dominum
D.M. CASIMIRUM STĘPLOWSKI,
Philosophiæ DOCTOREM, ejusdemq; Regium PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ ARCHIDIACONUM, ac interea Facultatis Philosophicæ DECANUM.
In magna Hospitum Corona
AA. LL. & Philosophiæ Baccalaurei
Ritu solenni pronuntiarentur
Votivi applausus gratiâ
ab
ANDREA MASARSKI
Ejsdem Laureæ Candidato
Metricô Calamô
DESCRIPTUM.
Annô Domini 1741. *Die* 24. *Mensis Martij.*

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.



IOANNES CANTIVS Polonus S. Th. in Vniuersitate Cracowiensi Doctor Presbyter Secularis Romæ, A.D.1688.

Non digitis gemmas, non longa monilia, collo,
  Sic avidè CANTI, Cracia Pallas amat;
Vt potiùs cunctîs hîs, TE non præferat VNVM,
  Majus & ex uno TE, ſciat illa ſibi
Eſſe decus, nec compta foret ſic pompa decori
  Gloria nec laudi, TE ſine tanta Stoæ.

DIVINISSIMO PATRIARCHÆ NOSTRO B. JOANNI CANTIO.

Sacræ Theologiæ DOCTORI
Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithvaniæ
PATRONO PRINCIPALI
Craciæ Palladis

SUMMO ORNAMENTO

Gemma in Maris Erythræi profundo latens.

Cum Epigraphe.

Amant pretiosa latere.

DIve, Thesauri Superûm potentis
Inter æternos radians nitores,
Et perennanti meliùs corusca
Lumine Gemma.
Gemma, quæ doctas nimiùm venustas
Laureas, Sceptris Jagelonis Aulæ
Addis immensum pretium, esq; nostri
Cultus honoris.
Non suæ jactet pretiosa multum
Dona, telluris, populus micanti
Dives obryzô, nec opima vasti
Munera Ponti.

Hæc enim quid sunt Tibi comparata?
Nonnisi stillæ pelago relatæ
Antelucanæ pluviæ, vel imæ
Viscera terræ.
Gemma Tu verò, superans valore
Omnium gazas, humilis latere
Ambiens semper, velut in profundo
Mersa fuisti.
Ut tamen gemma est pretiosa semper,
Abditos quamvis habeat recessus
In Mari, sic Tu licet in secreto
Magne JOANNES
Publicos Cælis habuisse plausus
Nosceris, quando comitata multis
Te DEI Mater Superis, revisit
Non sine magno
In Tui majus pretium favore;
Ut sciat totus pene Mundus inde
Quomodo Cælum Tua gesta CANTI
Æstimet ipsum.
Hinc Tuas Nostrûm Decus & Patrone
Gratias, proni quærulis precámur
Vocibûs, primos stadio laboris
Dirige passus.
Ausibûs primis animos calentes
Adjuva, magnis stimulis JOANNES.
De Tuo præsta, Pretiumq; nostris
Adde Coronis.

Illustribus

Illustribus Clarissimis & Admodùm Reverendis Dominis,

DD. EXAMINATORIBUS.

Illustri, Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino.

D. M. CASIMIRO STĘPLOWSKI

Philosophiæ DOCTORI, ejusdemq; Regio PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ ARCHIDIACONO ac interea Facultatis Philosophicæ DECANO.

Illustri, Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino.

D. M. JOSEPHO GREGORIO POPIOŁEK

Philosophiæ DOCTORI, ejusdemq; Regio PROFESSORI, Collegæ Majori Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI ad Cracoviam PRIMICERIO, S. ANNÆ CANONICO, Ilcusiensis PRÆPOSITO.

Illustri, Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino

D. M. ANTONIO

De Wilkoszowice

WILKOSZOWSKI

Philosophiæ DOCTORI & PROFESSORI Collegæ Minori, Ecclesiarum Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ CANONICO, Archipresbyteralis B.M.V. in Circulo Cracoviensi Pœnitentiario Radiminsciano, Contubernij Regio-Jagelloniani Seniori.

In vim debitæ gratitudinis Adamas.

Gemma pretiosissima

Cum Lemmate.

Ipsa sibi pretium virtus.

CОntemnat aurum nescius arbiter
Valoris auri, justius æstimet
Alter, nihil decedet auro
Per pretium sibi denegatum;

Per red.

Per redditum nil, in super accidet;
Nam non fit illô quid pretiosius:
Eſt nempe virtus absq; laude
Sufficiens pretium ſibi ipſa.
Sic Veſtra laus eſt inclyte Ternio
Non in venuſto carmine coſita
Quod in plauſum Tibi tũ mentis
Fundimus in documenta gratæ.
Tu mihi primus ad numeros venis
STĘPLOWSKI Princeps non mirito ſine
Vocandus & colendus, omni
Mæonia puto laude major.
Non geſta nervis Caſtalijs Tua
Canenda ſemper, laudis adoream
Habebunt ſupparem virtuti
Qua ſuperas genus omne laudis.
Non ipſa linguæ gratia profluo
Sermone pollens, pro merito ſatis
Suo, dignè poteſt laudari
Cætera quid memorem talenta.
Quæ publicis tot clara laboribus
Vtramq; raro more Poloniam
Replêrunt, ille ſolum neſcit,
Quem radians latet ipſe Phæbus.
Feſtivam poſcit laus Tua barbytum
POPIOŁEK altis dotibus ingenij
Præclare, Te Magnum per Orbē
Ipſa ſatis perhibet Matheſis.
At præter illam, quanta facundia
Quam rara doctæ mentis acumina
Ornent Tuos ſemper labores,
Forſan opus mihi teſte non eſt.

Sed

Sed si foret, pro testibus Exedras
Plenumq; semper laude Peripatum,
Tua, conducerem dicent Te
Innumeras meruisse laudes.
Et Te loquentur quanta laboribûs
Exempla præstas, assiduîs Tuæ
WILKOSZOVI mentis, quod extes
Grande decus, columenq; rerum.
Amor Togatæ Gentis, & omnium
Patrum mereris, Tu ritè corculum
Dici: genus clarum per omnes
Te Proavos docet esse Magnum.
Testatur amplè tam meritum Tuum
Quàm tolleratos non sine præmio
Laudis, labores, qua nitebas
Purpura dum fueras DECANUS.
Sed hæc quid essent carmina? debita
Pro laude Vestrûm, non brevibus chelis
Aptæ minùs, cani deberet
Illa sonîs; sed & ipsa virtus
Cùm semper extet maxima laus sibi,
Et nos favores, intima, præstiti,
Ad vota, compellant magis, jam
Vota damus meritis, precãdo
Vestris; in annos vivite plurimos
Summos honorum scandite vertices
Ad vota Vobis cuncta, semper,
Fata simul famulentur ipsa.

MONILE
Palladis Jagellonicæ
Ex pretioſioribus
Virtutis & eruditionis gemmis
CONTEXTUM

I. V. & *Admodùm Reverendo Domino*

ANTONIO PIATKIEWICZ

Eccleſiæ Parochialis Krolovicenſis Curato

Hyacinthus

Gemma pretioſa, quæ juxta Alcibiadem Lucarinum ſemper eſt Cælo concolor.

Cum Lemmate.

In ſe pingit Olympum.

REcta mens, terræ decus omne vanum
Iudicans, nullo ſimilis colore
Eſſe vult illi, ſpeciemq; Cæli
Exprimit in ſe.
Hinc Tibi juſtè lapis iſte ceſſit
PIATKIEWICZ, nam Tu ſpeciem referre
Moribûs, Cæli, ſatagens vis eſſe
Concolor illi.
Sic Sacrum Myſtam decet, ac Clientem
Palladis noſtræ, bene cæpta felix,
Non remittendis animi tenacis
Auſibus urge.
Prima portendit Tibi jam ſecundam
Lauream, quam Te meruiſſe conſtat
Dotibûs magnîs, tamen & labore
Perge mereri.

II. V.D.

II. V.D. THOMÆ KARWOSIECKI

Æthites gemma nobilis, sine qua juxta S. Isidorum L. 16. C. 14. Aquilæ pullos eniti nequeunt.

Cum Lemmate.

Sine me non parturit Ales.

MYstica sunt Craciæ quæ confert dona Minervæ
Non oculo cernēda nisi, nec ad extima tantùm
Est attendendum; sed quæ mysteria pandant,
Quidq; docere velint, est indagare necesse.
Ex Aquila Pullus tu nosceris esse Polona
Illustris per Avos generis sat pulchra propago.
Admonet ergo Te collato munere Pallas
Quodsi fæcundus cupias virtutibûs esse,
Et meritîs; hæc gemma tibi, quæ ritè laborem
Designat rigidum, sine quo non utilis esse,
Non quis fæcundus valet, est æthites habenda.
Plurima suscepti jam sat documenta dedisti,
Et frons ad cupidas dotes, formata, laboris,
Sponte sua Cracijs promittere plura videtur
Musis; quas annos sospes vivendo beatos,
Ad votum semper precor experiare benignas.

III. V.D. NICOLAO SZASTER

Gemma dicta Beryllus, quæ juxta S. Isidorum L. 16. C. 7. pretio & colore similis est Smaragdo cum pallore tamen.

Cum Lemmate.

Cum pallore viror.

SOrtem vividiùs, nil Academicæ
Vitæ, quàm lapis hic exprimit, algidus
Si vis, ut vireas, pallor ut occupet
Oportet faciem, ni hic labor induat
Pallorem, poterit nemo virescere.
Non infausta puta, quam Tibi Palladis

Junctim cum cydari larga manus dedit,
Gemma hæc signa refert; jam mihi pallidus
In vultu tenero, frontéq; cerneris
Ex cæptis referens signa laboribus,
Quos mente impavida, quos sine tædio
Jam sic prosequeris, nullus ut ambigat
Quod mox Te poterit (sic precor) altera
Jam plenè viridem reddere laurea.

IV. V.D. BASILIO SZCZAWNICKI

Gemma dicta Ceraunius, quæ juxta Nicolaum Causinum nonnisi in locis à fulmine percussis reperitur.

Cum Lemmate.

Fulmine crevit.

PEr fulmen veluti Ceraunia crescere gemma
Dicitur, ac in eis tantùm reperibilis Orbe
Esse locis, que sæpe solent horrenda ferire
Fulmina; sic fortuna viris, quos nulla ruina
Concutit, erectos meliores semper in ausus,
Nascitur adversis; ita quamvis noxia, sæpe
Fata ferunt pretium fructûs, tolerata labore
Si fuerint tantum constanti: talia finxit
Credo tibi SZCZAWNICKI Sacer præcordia Tytan.
Tempora dum lauro, simul arcto colla labori
Subdis, ut impavidus quævis contraria vincens
Dicta velut, felix crescas ut fulmine gemma.

V. V.D. ANTONIO SMOLIKOWSKI

Gemma pretiosa dicta Diacostides, quæ juxta Picinellum magnarum est qualitatum & virium, quas tamen omnes in ore cadaveris amittit.

Cum Lemmate.

Inter pura vigebit.

HIc lapis ingenium sapiens mentemq; refertam
Doctrinis placidis refert.

Nam

Nam sicut ille solet tantùm inter pura vigere,
Et perdit pretium suum,
Si vel contigerit fædum sine sanguine corpus;
Sic imbuta solertibus
Mens studijs, patitur nunquam, nisi corpus habere
Purum sordibûs omnibûs.
Quas vel culpa parit, vel turpi crimine vita
Enormis. Tua mens puto
Quô satis excellis, non perdet docta vigorem,
ANTONI scio nam bene
Integer in vita, vitioq; purus ab omni
Quam sis, sic maneas precor.

VII. V. D. DOMINICO RYDULSKI

Topazius gemma nobilis, quæ juxta Hugonem Victorinum L. 3. C. 58. superat claritatem omnium gemmarum.

Cum Lemmate.

Gemma fulgidior omni.

UT pulchra laus est dum superemicat
Fulgore gemmis ipse Topazius
Sic si micans perse magis, qui
Debuit esse, minus corusco
Splendore tandem, non reliquis modò.
Præire gemmis dignus, at utpote
Vt degener, nec crederetur
Gemma, foret nimiũ probrosum.
Præluxit almis quæ supereminent
In Te talentis gemma, DOMINICE
Velut Topazius nos inter
Fulgidior quasi gemma splendes.

Natura tecum non popularibûs
Egiſſe fertur provida gratijs
Diviſa quæ multos beatos
Efficiunt, Tibi dantur uni
Talenta dotum, ſed caveas precor
Tam pulchra ſortis munera perdere,
Mentis quem habes, ſempere nitorem
Expolias meliore niſu.

VIII. V.D. JOANNI KOTANSKI

Gemma ſingularis dicta Senenites, quæ juxta Plinium L. 37. C. 10. ad diverſos Lunæ vultus imaginem ejus repræſentans exactè compoſita, indies immutatur.

Cum Lemmate.

Ut Luna mutatur.

MVtari non ſemper erit mihi crede probroſum,
Rebus in humanis multa neceſſe pati.
Cuncta choró veniunt alternô, cuncta redire
Verſare inſtabilis cunctaq; motus habet.
Menſtrua ſic nec Luna mihi culpabilis inde
Quod variet formas, nec Senenites erit.
Luna ſuis cauſat varijs bona motibûs ampla,
Rarus abinde, imitans eſt Senenites eam
Tu ſimilis fueris Seneniti, ſemper ut alter
In melius, pulchris niſibûs eſſe volens;
Eſſe potes natura ſavet, mens optima ſpondet,
Ni pigeat, faciet mox meliora labor.

VI. V.

VI. V.D. ANDREÆ MASARSKI
Primæ Laureæ Candidato
Authori Operis
V. & Admodùm Reverendus Dominus
ANTONIUS PIATKIEWICZ
Ejuſdem Laureæ Candidatus
In vim mutui applauſûs & affectûs
OFFERT.

Gemmam ſingulariorem Enidros dictam, quæ juxta S. Iſidorum licet ſit ſolida. guttas aquæ adeo continuo evomit, ut fonti ſimilis eſſe videatur.

Cum Lemmate.

Quod fundit reparabit æther.

SYmbola ſi rerum ſpecies non vana putantur,
Siq; figura poteſt, una referre duo.
Hæc quam pro pretio tanti MASARSKI laboris
Offerimus gemmam. Te quoq; gemma refert.
Non hic ingenio, non hic interprete longo
Eſt opus, ut dotes explicet iſta Tuas
Gemma, patet velut illa licet ſolidata fluentis
Elicitas nunquam fundere ceſſat aquæ
Guttas; Tu pariter nunquam ſudare MASARSKI
Deſinis, & ſalſas fundere frontis aquas
Non ceſſas, fors cogit eas preſſura laboris
Quem tamen aſſiduos impiger ipſe vocas
Ad niſus, Enydros ut ſudans, gemma proberis
Atq; Tibi pretium, gemma labore pares.
Quos tamen in noſtra ſudores laude dediſti
Et voveo & credo, quòd reparabit æther.

SUB FELICISSIMO & OPTIMO
REGIMINE
Magnifici, Perillustris, & Admodum Reverendi Domini,
D.M. CASIMIRI PAŁASZOWSKI,
Sacræ Theologiæ PROFESSORIS, Collegæ Majoris, Ecclesiarum; Collegiatarum Sancti FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam CANONICI, Cureloviensis DECANI, Parochialium Sancti STEPHANI Cracoviæ PRÆPOSITI, in Czerniechow CURATI, Studij Generalis Universitatis Crac: Vigilantissimi
RECTORIS.